



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XVIII. De habitu & conuersatione monachorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
CHRISTI  
1187.

titia computando, & in ea non curauerit vicarium aut ministrum idoneum ordinare, praesentis constitutionis tenore sit extunc ab officio ipso facto suspensus, tamdiu in suspensione huiusmodi permanens, quamdiu ecclesia ipsa sine vicario seu ministratore manebit, & prouisio siue ordinatio ecclesiae ordinarii arbitrio reseruetur.

XVIII.

Volumus etiam, quod abbates, priores monasteriorum, quae per priores sunt solita gubernari, vestes non habeant, quae in forma vel colore appareant saeculares, ac monachos eorum intra claustra eorum retineant, nec permittant eos sine manifesta, seu iusta, ac rationabili causa frequenter in saeculo cum saecularibus conuersari: sed secundum statuta regulae, in qua professi sunt, studeant Domino deseruire: & si contra fecerint, per mensem per superiorem ab officio suspendantur.

XIX.

Hanc circa monialium curam abbatissas & priorissas monasteria monialium gubernantes volumus adhibere cautelam, vt postquam monialis quindecimum annum aetatis exegerit, & post duodecimum aut quindecimum aetatis suae annum probationem in monasterio fecerit, vltra annum professionis velum cogatur recipere, ac sibi capillos iuxta scapulas amputare; quae per subtractionem praebendarum abbatissae studiose arceantur. Item sine manifesta vel rationabili causa exitus claustri eisdem monialibus per eam quae regit monasterium prohibeatur omnino. Ceterum ne praetextu